DISPUTATIO MEDICA
DE
SPERMATE CETI,

Quam

PRÆSIDE

DN. JOH. SIGISMUNDO HENNINGERO,

Med. D. & Prof. Publ. Ord. Cap. Thomani Canonico,

SOLENNI Eruditorum Examini ſubmittit

JOHANNES GEORGIUS WILHELM, Argentoratenſis,

Ad D. XXIX. *Menſ. Octobr. M DCC XI.*

horis locoque ſolitis.

ARGENTORATI,

Typis Viduæ JOH. FRIDERICI SPOOR.

52696/P

DEO,
PATRIÆ,
PATRONIS
atque
AMICIS.

I.

VT à nomine initium faciamus, appellatur communiſſime *Sperma Ceti*, quòd falſo creditum fuerit, à balænis genituram in mare effuſam, & à ſalinis particulis coagulatam & mari innatantem, ibique collectam eſſe, quod nomen etiam hactenus in officinis retentum fuit, nec videmus cauſſam cur ab omnibus receptam denominationem rejiciamus, cum etſi ſperma non ſit, quid tamen per hoc intelligatur omnibus conſtet. Nonnulli crediderunt, quod ſit *Haloſanthos* ſive flos ſalis veterum, uti Valerius Cordus peculiarem libellum de haloſantho ſeu Spermate Ceti edidit Tiguri 1566. impreſſum, ubi evincere conatur veterum haloſanthos eſſe nihil aliud quam recentiorum Sperma Ceti, & deſcribitur à Dioſcor. lib. 5 c. 88. ut & Plin. l. 31. c. 7. In qua ſententia etiam eſt Leonh. Fuchſius Tr. de Medic. comp. l. 1. p. m. 83. it. Andr. Libavius ſingular. libr. 3. prolixe hoc probare nititur. Sed rectius ſentire videntur, qui ſperma ceti noſtratibus officinis uſitatum, veteribus incognitum fuiſſe exiſtimant. Cum plane non ſit corpus ſalinum ſed potius pingue & adipoſum,

unde etiam à quibuſdam ad bitumina refertur. Qui vero ſub nomine *Ambari ſubalbidi* Arabibus deſcripti venditant, illi quoque minus recte ſentire videntur, cum potius ſuccinum per hoc intellexerint. Germanis appellatur Walrath. it. juxta nonnullos Wolrath à ſalubri quem edit effectu. Juxta Valentin. in Muſeo Muſ. Wolram/ Welſat. Aliis etiam dicitur Walrath quaſi Baldrath. Hinc Encel. 2. Metall. 1. Noſtris tam familiare eſt medicamentum, ut neſcire ſe dicat, ad quem non morbum utuntur Germani. Hinc ortum eſſe ſplendidum illud nomen Baldrath (Walrath eſſe corruptum,) quod in morbis dubiis unicum illorum perfugium eſſet. In quibuſdam locis appellatur Meer-Butter/ uti habet Phil. Jac. Schenfeld. hiſt. 44. p. m. 174. quæ appellatio convenientiſſima eſſe videtur.

II.

Eſt vero Sperma Ceti, ut Hermanni deſcriptionem ex parte hic repetamus, ſubſtantia puinguis oleoſa prompte liqueſcens, alba, tenera, mollis, quaſi ex parvis raris furſuraceis ſquamis compoſita, balænarum, orcarum, præcipue ceti dentati & aliorum piſcium, vel poſt mortem effuſa & in maris ſuperficiem acta, vel ſtudio ex cranio ſectove cerebro exempta, beneficio lixivii ſæpius purificata, quouſque ad albedinem redigatur, ſaporis pinguis butyracei & viſcoſi, odoris non ingrati debilis.

III.

Non eſſe verum Sperma Ceti apud omnes hodie in confeſſo eſt, unde quidam recte dixit, qui nomen ſpermatis ceti primus impoſuit multis impoſuit. Licet Cordus

dus in peculiari tractatu hoc aſſerere voluerit, qui & ita definivit: Sperma Ceti eſt genitale cetorum ſemen in venereo actu femineos locos ſubterfugiens, mari adipis aut pinguis liquaminis modo ſupernatans &c. Huic libello Conradus Geſnerus ſubjunxit Corollarium, ubi non Sperma Ceti hoc eſſe affirmat, ſed potius adipem animalium quorundam in mari degentium. Quidam dubii & incerti de hujus origine, autumarunt hoc eſſe lac balænarum, quod ora effugiat catulorum ſugentium, unde poſtmodum portio pinguior ad maris emergens ſuperficiem in talem ſubſtantiam compingatur. Nonnulli genus bituminis eſſe dicunt, & eſſe pinguedinem furfuraceam, productam vel exhalatione terræ ſulphureæ mari communicatæ vel ex particulis ſulphureis mari immixtis, quæ agitatione fluctuum congregatæ in pinguedinem coactæ ſunt, uti habet Schrœderus.

IV.

Multi nobile hoc medicamentum ex ea ratione adverſati fuerunt, quod verum ſperma crediderint, & quia primitus ſub hoc nomine innotuit, quod commentum inde fuit ſtabilitum, quia non niſi in illis locis reperitur, ubi balænarum adeſt copia. Geſnerus ad veritatem proprius acceſſit, qui adipem ſeu pinguedinem animalium ſtatuit, cum qua magnam convenientiam habet, quo cum etiam conſentit Marparger im Kauffmanns Magazin, quia in pinguedine balænarum reperitur, & inde excoquitur, & materia hæc liquata magis adipis quam cerebri ſubſtantiæ ſimilis, & quia cum pinguedine colliquata intime diſſolvitur. Lac eſſe balænarum, nemo amplius affirmaverit.

 Multo

Multo minus ſubſtantiam bituminoſam ſulphuream. Ab holoſantho veterum toto cœlo diſcrepat.

V.

Eſt itaque ſubſtantia pinguis & oleoſa, ex balænarum, orcarum, præcipue vero ceti dentati & aliorum piſcium capite & cerebro collecta, quæ vel ſponte in mare eructatur, vel poſt mortem effunditur, & in maris ſuperficiem eructatur, id quod tamen rarius contingit, frequentius vero ex cranio ſecto & cerebro exempto excoquitur & paratur. Modus autem quomodo præparetur, & in formam iſtam candidam & ſquamoſam evehatur, ſub qua in officinis diſtribui ſolet à pluribus autoribus deſcribitur, nominatim Ettmüll. in diſſert. d. ſperm. cet. it. comment. in Schrœd. Valentin. in Muſ. Muſeor. Joachim. Georg. Elſner. C.N.C. Dec. I. ann. I. obſ. 136. p.m. 302. Hoffmann. Clav. in Schrœd. Bartholin. Cent. 4. hiſt. 24. p.m. 275. aliiſque.

VI.

Hæc ſubſtantia autem pinguis non eſt ipſum Cerebrum, ſed materia quædam pinguis, in capite balænæ contenta, quæ exinde deſumta, per lixivium forte depuratur, hinc optimum dicitur, quod eximitur ex certis cavitatibus proceſſuum cerebri Orcæ piſcis, quorum parte poſtica utrinque eſt unus, item ex aliis piſcibus majoribus Indiæ Orientalis. Et quidem hanc materiam ſaltem in maſculorum craniis reperiri aſſerunt, cum feminarum Cerebroſa ſubſtantia ſit liquidioris inſtar pinguedinis oleum in uſum lucernarum ſuggerentis, quapropter ut compacta magis marium ſubſtantia in vulgo dictum ſperma præparari nequit.

Neque

Neque quis miretur tantam copiam ſpermatis reperiri quamvis ex ſolo capite colligatur, cum primò ex variis piſcibus majoribus hoc eximatur, & deinde caput quarundam Balænarum adeo grandi præditum ſit mole ut tertiam ferme partem totius piſcis adæquet, conf. ol. Worm. Muſ. p.m. 34. ita ut in unius cranio, cellulis quibuſdam diſtincto, ingens hujus materiæ copia reperta & à piſcatoribus collecta fuerit. & Thom. Barth. Cent.4. hiſt.24. p.m. 274. refert, in capite gibbum prægrandem eminere inſtar domunculæ, unde Sperma Ceti copioſius exſcindatur, uti oculatum teſtimonium ſoceri ſui adfert. Imo tantam quantitatem reperiri in quibuſdam craniis aſſerunt, ut ex uno balænæ cranio diſſecto pluſculæ amphoræ deſumptæ fuerint, uti teſtatur Thom. Barthol. Epiſt. C. 3. ep. 70. p.m. 291.

VII.

Sæpe tamen etiam pinguedo hæc mari innatans reperitur, & uti deſcribit Ol. Worm. Muſ. p.34. inſtar minutarum ſquamarum piſcium, aut furfurum, colore albo, pallido, ſubflavo, quæ vere potiſſimum apparet tempore matutino, ubi mare à fluctibus tranquillum, ſin vero tempeſtas oriatur, diſcutitur, & adhæret rebus quibuſcunque obviis. Solis fervorem ubi ſenſerit, reſolvitur, pars ejus ſubtilior exhalat, graviorque fundum petit. Cum vero quæritur quo modo à balænis in mare effundatur probabilis admodum videtur laudati Wormii ſententia materiam hanc certo tempore, inſtinctu naturæ, per appropriatos meatus ſponte evacuari. Quæ materia poſtea, liquida ante, acceden-

te coagulo Salino maris & ſpiſſeſcente frigore in compactiorem ſubſtantiam abit.

VIII.

Hoc ipſum Sperma Ceti dum ita mari innatat, à piſcatoribus capitur & hauritur corbibus vimineis, aut aliis vaſis cribroſis & foraminulentis, ut hac ratione aqua & liquore tranſeunte, relinquatur ſicca concretio quæ deinde expreſſione, & in lixivio decoctione ulterius purificatur, ut candorem induat. Melioris vero notæ & præſtantius cenſetur illud ſperma ceti quod ex cranio vel cerebro ſecto eximitur, ut pote purius quam quod ex mari colligitur, quod ex ſalis marini concurſu jam aliquam alterationem ſubiit.

IX.

Locus unde adfertur, ſunt loca illa ſeptentrionalia ubi balænæ capiuntur, maxime in Oceano Boreali, juxta Norvvegiam, Grœnlandiam, Iſlandiam, aut conterminas balænarum captura celebres regiones. Unde hæc maſſa cruda adhuc in Daniam, Sueciam, Belgium, &c. devehitur, ubi ulterius excoquitur & purificatur, ac lixivio peculiari dealbatur, quo etiam vetuſtate corruptum & rancidum reſtituere ſatagunt. Carol. Cluſ. l.4. Exotic. c.17. in Belgio capti ceti ponit delineationem, in cujus capite reperta fuit plus quam quarta pars dolii, quo Haleces ſale condiuntur, plena ejus liquoris, quem ſperma ceti appellant. De cetorum variis ſpeciebus & in ſpecie ex quibus ſperma ceti colligitur, agit Thom. Barthol. Cent.4. hiſt.24. p.m. 275. inter alia dicit, quod ejus caput oleo repletum ſit. Capiuntur it. circa Bermudas, & ad littora novæ Angliæ

gliæ ac novi Belgii uti habent acta Philoſoph. Anglic. Menſ. Jan. 1656. p.m. 99. ubi dicitur ex balænæ oſſe capitis diſſecto variis capſulis & portionibus diſtincto effluxiſſe tenuem materiam oleoſam, quæ tempore figitur, poſtea reſiduum, quæ erat materia ſpiſſe pinguis, pala exceptam, iſtamque materiam eſſe Sperma Ceti; ſubjungunt adipem ejuſdem generis balænarum bullitum in ſuperficie producere materiam quaſi cremorum, quæ vino albo injecta, demittit fæculentum ſedimentum, ſed quod ſuperius manet, reddit materiam ſpermatis ceti ſimilem. conf. ead. acta Menſ. Decembr. 1667. p.m. 461. it. ibid. Menſ. Octobr. 1668. p.m. 665.

X.

Sperma Ceti dum adhuc crudum, multis adhuc ſordibus & fœculentiis gaudet, admiſta materia ſubliquida pingui inſtar adipis, unde colore ad flavum aut citrinum vergit, odore gravi præditum eſt non diſſimili garo, interdum multo horribilius virus olens, præcipue ſi inveteratum eſt & rancidum. Saporem habet, ſi nondum depuratum, pinguem ſubrancidum acrem, lotum vero & dealbatum ſalſedinem unà cum colore flavo amittit, quo fit ut guſtu tantum pingue ſit. Quæ depuratio fit vel per decantationem materiæ oleoſæ juxta Schurz. Material-Kammer. p. 191. vel per repetitam liquationem & colationem mediante qua etiam filamenta membranacea quandoque permiſta ſeparantur. Juxta Elſner. C.N.C. Dec.1. ann.1. obſ.136. p.m. 304. vel decoctione in lixivio, dum conficitur lixivium acre ex cineribus & calce viva, cui colato materia ex cranio balænarum exempta, antea per ſaccum ex-

pilis

pilis confectum à pingui liquamine oleoſo, (von dem Thran) liberata, immitttitur, manibus in lixivio probe ſubigitur & ita per σ & ρ reponitur hoc facto per ſaccum piloſum, lixivium ſeparatur id quod reſtat ſuper linteum explicatum, digitis blande diductum, in aëre libero exſiccatur, & hæc materia ita præparata poſtea ſpermatis ceti nomine venit. Idem modus præparandi locum obtinet, ſi forſan rancidum, vel vetuſtate corruptum fuerit.

XI.

Quod ad electionem & notas bonitatis attinet, melius cenſetur iſtud quod ex capite eximitur, quam quod in mari colligitur. Cum vero non ex unius generis piſce, ſed variis majoribus piſcibus præparetur, an & hic quædam ſit differentia, dubium: optimum cenſet Hermannus Mat. Med. p.310. quod eximitur ex certis cavitatibus proceſſuum Cerebri Orcæ piſcis. Optimum cenſetur, quod ratione caloris album; conſiſtentiæ, molle, pingue, ex furfuraceis quaſi ſquamis compoſitum; ſaporis, pingue, butyraceum, non acre, non rancidum; odoris, debile quidem ſed non ingratum; temporis, recens. Vetuſtum quod tandem acrimoniam & rancorem contrahit, odorem ingratum acquirit, & flaveſcit, plane pro uſu interno rejiciendum, & ſaltem pro uſibus externis tolerandum. Quia facile ab aëris externi injuriis alterationem patitur, in vitris ab aëre munitis optime aſſervatur.

XII.

Gaudet Sale volatili tenui cum multa pinguedine unde per ſe aquæ ſocietatem reſpuit, ſed inſtar olei ipſi inna-

innatat liquidum, ſi liquor fervens eſt, remittente vero calore denuo coagulatur. Interveniente tamen lixivio alcalizato ſeſe mutuo ampleſctuntur. Si etiam cum ſacchari ſuff. quant. teratur & ſubigatur, melius in juſculo calido, vel infuſo thee aut ſimili liquore ſolvitur & aſſumitur. Cum oleoſis optime maritatur, & præcipue in doloribus internis cum ☍ amygdal. dulc. ſed recenter expreſſo, ubi invicem leni calore facile conjunguntur. In liquoribus ſpirituoſis non æque ſolvitur, unde etiam Dan. Ludovici Pharmac. p. m. 524. inquit: ad eſſentiæ formam induendam, ſi corruptionem ſic impedire, vel remedium obnubilare quiſpiam voluerit pene ineptum eſſe, etſi extractio vel diſſolutio rectificatiſſimo ſpiritu vini, cum vel ſine addito alcali tentetur. Guſtu ſi exploretur ſapor emergit butyroſus, pinguis & blandus primum, ſequitur tamen aliqualis acrimonia, & aliqualis rancor, iſque eò magis quo vetuſtius fuerit. Odorem præbet debilem quidem, ſed ſi recens fuerit non ingratum, nondum depuratum gari odorem refert, ob piſcoſitatem quam obtinet. Si prunis injiciatur nares odore ſebaceo ferit, candelæ extinctæ fœtorem referens. Leni calore prompte quidem liqueſcit, ac olei inſtar diffluit, mox tamen iterum ad priorem conſiſtentiam redit, id quod etiam in juſculo fervente contingit, ſi tamen flammæ admoveatur non ardet quidem per ſe, ſed cum ellychnio ſine ſtrepitu lucidam & tranquillam ſuppeditat flammam.

XIII.

Vires & effectus quod concernit, de quibus Medicus maxime ſollicitus eſſe debet, ſperma ceti quoad

primas

primas qualitates remedium admodum eſt temperatum, cum blando calore leniter humectat & lubricat. Et ſi pinguedinem oleoſam temperatam cum ſale ſuo volatili conſideremus, facile patebit, obtinere virtutem, acria quævis temperandi, acida mitigandi & corrigendi, ob blandam pinguedinem partes membranoſas demulcendi, ob oleoſas tenſa laxandi, lubricandi, & dura emolliendi, ob ſalem volatilem diſcutiendi & reſolvendi, quapropter etiam ipſi ſingularis vis anodyna adſcribitur. Unde potiſſimum uſurpatur, ad acida vitioſa & ſimilia acria mitiganda, & inde in corpore oriunda mala tollenda: ad coagulum reſolvendum, hinc in ſanguine & lacte congrumato reſolvendo præ cæteris ſpecificam habet virtutem, imò elogio Ettmülleri par ſibi in hoc caſu remedium non habet. Obtinet ſingularem virtutem anodynam unde in quibuſvis doloribus partium internarum demulcendis cum fructu uſurpatur. Hinc audit anticolicum, antipleuriticum, antihyſtericum, anticatarrhale, antiaſthmaticum. Lenis virtus diuretica ipſi quoque adſcribitur, unde & in ſtranguria, dyſuria, aliiſque doloribus viarum urinariarum exoptatum exerit effectum.

XIV.

In pluribus pectoris affectibus inſigniter laudatur; & quidem nominatim in Catarrho ſuffocativo, cum enim Catarrhus ſuffocativus it. Syncope cardiaca oriantur à ſanguinis circa præcordia ſtagnatione & lymphæ coagulo, præmiſſis aliis, v.c. Clyſter. acrioribus it. V. S^ne^ &c. ſperma ceti tanquam optimum reſolvens exhiberi poteſt, quo in caſu quidam cum ▽ hyſſopi

hyſſopi & ſyr. d. hyſſopo propinant. In ſpecie vero pueris tenellis, præcipue habilioribus, Catarrho tali ſubitò correptis optime exhibetur, præcipue cum Sperma Ceti in infantibus nonnunquam blandum vomitum excitet, & hoc modo pectus à ſarcina pituitoſorum humorum liberet, conf. Roſin. Lentil. Miſcell. Med. Pract. p.m. 626. Ita Joh. Nævius ap. Laur. Scholz. Conſil. 309. p.m. 883. ubi de catarrhis puerorum ſtrangulationem minitantibus agit, inquit: ſi vero ad vigorem vel ſtatum mali ventum eſt, ſoleo ego exhibere ſperma ceti, quantitate piſi in lacte muliebri diſſolutum, & jubeo inſtillare in os pueri, poſtea moneo ut ſomno committatur. Hoc remedio multis profui, quos etiam fere pro deploratis mulieres habuerunt. Ettmüll. in Prax. T. 1. p.m. 185. in ſimili caſu inſigniter laudat, & uti expertiſſimum eſt in quocunque ſanguinis coagulo reſolvendo, unde etiam ſingulare Vulnerarium audit, ubi adeſt ſanguis congulatus, ita præter V. S. in catarrho ſuffocativo vix ſimile habere remedium, id quod etiam commendat Schmuck. in Theſaur. ſecretor, addit demum: in deplorato Catarrho ſuffocativo ad hoc Sperma Ceti tanquam ad ſacram anchoram confugiendum eſſe Medicis.

XV.

Conducit præterea in aſthmate, ex ſtagnatione ſanguinis, tum ex humoribus viſcidis & pituitoſis oriundo, ad illam viſcidam mucilaginem reſolvendam, & ad expectorationem promovendam, ſimulque acrimoniam mitigandam, & ad lubricandum, ubi mucus faucibus pertinacius agglutinatus hæret, aſperitatem,

ſimul faucium lenit, in difficili reſpiratione infantum, ſive cauſa in pulmonibus hæreat, ſive ex cruditatibus pituitoſis in eorum ventriculo congeſtis oriatur, confert. Optime tunc cum aliis incidentibus & reſolventibus maritatur, uti ſunt rad. ari. ireos florentinæ, cinnab. ♁ij, crocus, addito ſaccharo violato, & oleo deſtillato aniſi. Baldaſſ. Timæus l. 1. Ep. XI. p.m. 562. in aſthmate potiunculæ ex gummi ammoniaco præfert ſperma ceti, quando ait: ſed ut quod res eſt fatear, nihil magis profuit, quam Sperma Ceti ex cereviſia calida ʒj pondere ſumtum. Idem Timæus l. 2. caſ. x. p.m. 96. ubi aſthma pituitoſum profert, poſtquam varia recenſuiſſet remedia exiguo cum fructu uſurpata, tandem ſubjungit; ſed nihil magis profuit quam Sperma Ceti ex cereviſia calida ſumtum, & potiuncula Brunneri ex ammoniaco. Album huic calculum addit Phil. Jacob. Schenfeld. hiſt. 44. ubi de compreſſione præcordiorum cum difficili reſpiratione agit: inquit p.m. 274. inſtar omnium mihi eſt & profuit ſperma ceti, ex calida cereviſia alba ʒj pondere ſumtum, quod me nunquam fefellit, modo non ſit rancidum.

XVI.

Quoſvis Catarrhos acres egregie contemperat atque demuleet, unde in raucedine, defluxionibus tenuioribus & ſalſis cum inſigni titillationis moleſtia ad fauces depluentibus, in tuſſi nocturna, oriunda à tenui materia ex capite deſtillante, & lympha vitioſa acri temperanda, ſperma ceti in vehiculo calido v.c. in decocto pectorali, vel decocto florum & fructuum optime, præcipue ſub introitum lecti propinatur, &

per

per aliquot dies uſus continuatur. Et ad lympham acrem aſperam arteriam irritantem commode combinatur cum ſucccino, addito tantillo Laudani opiati, & hac ratione ad tuſſim nocturnam compeſcendam horis nocturnis exhibetur. In tuſſi ad Tartarum pulmonum demulcendum laudat Schrœderus. In raucedine etiam diuturna commendatur: Novi quendam pertinaci raucedine affectum, inquit Ettmüll. diſſert. d. Sperm. Cet. qui aliis irritis, tandem Spermate Ceti ad ʒij aſſumto fuit reſtitutus.

XVII.

Cum in pleuritide ſæpius adſit intentata ſanguinis coagulatio, & hinc orta ſtagnatio, facile patet ſperma ceti & hic conducere, ubi Hermannus exhibet Sperm. Cet. ʒß. Caſtor. gr. vij. & dat in vitello ovi ſuperbibendo aquam chærefolij. Memorabile exemplum profert Timæus l.2. caſ. 7. p.m. 90. de muliere, quæ ex ſubitanea refrigeratione, dum in profluentem incidit, paſſa eſt menſium ſuppreſſionem & hinc gravem pleuritidem, huic præmiſſo Clyſtere, & ſectione ſaphænæ exhibuit Spermatis Ceti ʒj cum tantillo Caſtorei ex Cereviſia calida, feliciſſimo & admirando cum ſucceſſu; menſibus enim copioſe prodeuntibus, rejectaque per ſputum cruenta materia intra triduum præter ſpem convaluit. Ut alia exempla ſicco pede tranſeamus.

XVIII.

In ſanguine coagulato reſolvendo nobile audit remedium tam interno quam externo uſu, unde recipitur in pulverem Auguſtanorum contra caſum.

Foreſt. lib.16. obſ.15. p.m.80. in ſputo cruento ex caſu exhibet Mumiæ & ſperm. cet. ana ʒß in decoct. pectoral. ℥iij Mel. roſ. oxymel. ſimpl. ana ℥ß pauco adjecto butyro. Ubi in Schol. p.m. 88. contra Langium uſum ſpermatis ceti defendit, quando ait: etſi mumiam & ſperm. ceti Langius l. 2. ep. 31. his verbis vituperare videatur: ſi in præcipiti caſu &c. operæ precium erit pharmaco dejicere grumos, ac per lotium aut alvum expurgare, non ut vulgus Chirurgorum imperitum aſſolet, carbonibus tiliæ, aut Arabum mumia, aut ignoto veteribus Spermate ceti utor, ſed &c. Ab experientia tamen eundem refellit Foreſtus & ſubjungit, nos optimo cum ſucceſſu in pluribus ægris uſi ſumus, quibus & Præceptores mei in Italia uſi ſunt. Cui & nos adſtipulamur, licet quod ad mumiam attinet, ea facile, præcipue quod ad uſum internum attinet, carere poſſimus.

XIX.

Pariter quoque ad lactis coagulum reſolvendum proficuum eſt medicamentum, interno uſu admixtis diaphoreticis & aliis reſolventibus. Interne ad miſceri poſſunt lapides cancrorum, antimon. diaphoreticum cum cinnabari nativa & tantillo myrrhæ, ſuperbibita aqua florum ſambuci; externe vel ſolum ſperma ceti ad lenem calorem liquefactum cum linteis calidis mammis applicatur, in mammarum tumoribus à lactis retentione & coagulo incipiente, ſuperimponendo ſacculum calidum, furfure, farina avenacea, ⊖ decrepitato vel ſimilibus repletum. Laudatur hic Emplaſtrum de ſpermate ceti Mynſ. p.m. 520. deſcriptum,

ex Ceræ albæ ℥iiij Sperm. Ceti ℥ij gumm. galban. ℥j in + ſolut. concinnatum quod mammis puerperarum poſt partum non lactantibus & per multos dies continuo geſtatum omnibus è lacte doloribus & tumoribus etiam duris, imo & ſcrophulis & ſtrumis medetur, lac enim coagulatum ſeu concretum ſolvit, ejuſque abundantiam abſumit. Cujus emplaſtri efficaciam Experientia toto die comprobat, noſtratibus mulierculis frequentiſſimi uſus, dum infantes ablactant. Allegatus jam aliquoties Timæus l.4. caſ.36. p.m. 235. omnibus aliis hîc præfert, inquit: Remedia quibus hoc præſtetur (nempe mammarum ex lacte retento tumor & coagulato durities reſolvatur) multa ſunt & varia, nullum tamen, quantum mihi conſtat æque præſentaneum & efficax eſt, ac emplaſtrum de ſpermate ceti Mynſichti. Hujus namque ſolius uſu plures à tumore mammarum perfecte liberatæ ſunt. Inſignem enim copioſum lac abſumendi, concretumque ſolvendi vim obtinet, unde & poſt ablactationem commodiſſime adhibetur. Sequens itidem cataplaſma in coagulato lacte & hinc mammis tumidis applicari poteſt: ℞ Sperm. Ceti ʒj Croc. or. ʒß. cum mica panis & lacte f. cataplaſma calide imponendum.

XX.

Egregiam quoque virtutem anodynam poſſidet pinguis hæc & oleoſa ſpermatis ceti ſubſtantia; ſuaviter enim partes membranoſas & nervoſas ſenſiles admodum demulcet, tenſas laxat, ſuccos acres rodentes & vellicantes, unde dictarum partium dolorificæ ſenſationes & repetitæ ſpaſmodicæ criſpaturæ oriuntur, obtun-

obtundit & acrimoniam infringit; ubi interno uſu ſperma ceti cum oleo amygdalarum dulcium in pultaceam ſeu butyraceam ſubſtantiam redactum, euporiſton in doloribus variis internis exoptatum eſt, inprimis ſi in juſculo calido ſolutum hauriatur. Pro externo uſu anodyno Elſnerus C. N. C. l. c. oleum quod in præparatione Spermatis Ceti exprimitur majorum virium eſſe tradit, quam ipſum Sperma Ceti, in quo inter alias virtutes benigna ipſius vis anodyna excellit. Licet hoc ipſum oleum ad nos non deferatur.

XXI.

In ſpecie vero in colicis doloribus & torminibus ventris conducit, ſive illi à contractionibus ſpaſmodicis fibrarum nervearum, ſive à materia acri irritante, ſive à flatibus diſtententibus, ſive à ſcybalis alvi induratis, ſive à muco pertinacius cellulis inteſtinorum impacto orignem trahant: Joh. Crato in conſil. apud Scholz. 168. inquit: in dolore Colico 🜖 amygdalinum cum vino Malvatico hauſtum uſitatum & pervulgatum eſt remedium, verum ego drachmam dimidiam ſpermatis ceti addo, atque hoc inter efficacia & ſecreta remedia habeo. Idem quoque medicamentum ab Experientia laudat Dan. Sennert. l.3. Pract. p.2. ſ 2. c.2. de dolore colico p.m. 265. Andr. Libavius p.m. 231. potiunculæ laxanti ex Manna contra dolorem colicum ſperma ceti addit, in quo affectu etiam unà cum Clyſtere ægris ſe iſtud injeciſſe affirmat. Sic ad imitationem Claud. Deodati in Panth. Hyg. parari poſſet Clyſter. ex decocto emolliente aut carminativo, vel urina pueri, addito ſyrup. papav. rhœad. ℥j & Sperm.

Cet.

Cet. ℥iß. cum vitell. ovi nr. 1. Quamvis in forma Clyſteris non ita commode exhibeatur, & alia oleoſa, non æque coagulabilia hîc præferantur.

XXII.

In torminibus ventris infantum, & aliis puerilibus affectibus, qui plerumque ab acido primarum viarum & lacte vitiato oriuntur frequentis eſt uſus. In illis enim Inteſtina blande lubricat, alvum laxat, unde & infantibus recens natis, una cum manna & oleo amygd. dulc. pro abſtergendo & educendo meconio exhiberi poteſt, dolorificas torturas in iis lenit & virtute anodyna blandum ſomnum provocat, & ſic cum pulvere ſeminis aniſi optimo aliàs in pluribus infantum morbis remedio combinari poteſt, addito ſaccharo & 🝆 deſt. aniſi; Inprimis ſi flatus multorum malorum in infantibus autores adſunt. Sic in motibus infantum convulſivis ab acido primarum viarum oriundis virtute anodyna nervos demulcente uſurpatur. Nec alia ratione à Libavio cum ſuccino junctum in Epileſia laudatur.

XXIII.

In paſſione hyſterica & torminibus ab Utero ortis pariter conducit: tam ob vim anodynam blandam demulcentem, quam reſolventem, præprimis cum ſimul ſtagnatio ſanguinis adeſt & difficilis reſpiratio & metus ſuffocationis, in graviori malo. Addi poſſunt alia uterina & carminativa & inter hæc caſtoreum & crocus, ſuccinum item ejuſdemque ſal volatile. Sequentem potionem mulieri hyſtericæ Ettmüllerus propinavit. ℞ ▽ Hirund. c. caſtor. ℥iß. carmi-

C nativ.

nativ. ℥j. oc. ♋ ℈j ♁ diaphor. ℈ß. Sperm Cet. ʒj ſyr. cortic. aur. ℥ß, unde & paſſio levata & menſium fluxus inde promotus fuit. In menſium ſuppreſſione, & eorundem dolorifica excretione cum ſit optimum reſolvens eodem modo uſurpari poterit.

XXIV.

In doloribus poſt partum valde proficuus eſt ſpermatis ceti uſus, ſive illi oriantur à contractione cervicis uteri, ſive ab ejuſdem excoriatione, ſive ſanguine acriori aut in coagulum abeunte, ſive à liberioris aëris admiſſione & hinc orta flatulenta diſtenſione. Ita Chriſtian. Franciſc. Paullin. tract. d. ſalvia. ſ. 2. membr. 8. c. 4. p.m. 345. exemplum refert de muliere, in ſummis doloribus à concreto ſanguine ortis, quæ ſumto ſpermate ceti recenti in decocto zedoariæ, ſalviæ & cort. aurant. brevi liberata eſt. Timæus l. 4. caſ. 30. p.m. 230. uſus in doloribus poſt partum à grumoſo ſanguine in utero detento, addit: ſperma ceti, quo nihil unquam ad grumos ſanguinis diſſolvendos potentius deprehendi, ex cereviſia calida per vices exhibui, & ſic profluentibus decenter lochiis dolores ex toto remiſere. Joſeph. Lanzonus C. N. C. Dec. III. ann. 1. obſ. 41. p.m. 59. refert ſe curaſſe feminam quandam magnis doloribus poſt partum affectam ſola exhibitione ſpermatis ceti recentis in decocto artemiſiæ. Rationem addit Luc. Schrœck. in ſchol. hancce. Uti ſperma ceti pinguedine ſua temperata oleoſa, quaſcunque humorum acrimonias corrigit & temperat & hinc anodynam vim obtinet, coagulationemque ſanguinis tollit, ita etiam patet, qua ratione dolores poſt partum ſedare valeat.

XXV.

XXV.

Nonnulli ob vim nutritivam & pinguem oleoſam ſpermati ceti vim aphrodiſiacam attribuunt, cumque aphrodiſiaca medicamenta ſint vel ſtimulantia acriora, vel Orgaſmum & turgeſcentiam liquori ſeminali concilient, vel ſpecifica qualitate hoc præſtent, vel copioſam materiam ſeminalem ſuppeditent, ad hanc poſtremam claſſem ſperma ceti referunt, quatenus citra vim ſtimulantem lactei ſpermatis copiam uberiorem ſuppeditat. Unde referente Ettmüllero, quibuſdam in uſu poſitum eſt, ut crudam ſpermatis ceti maſſam oleo ſuo adhuc perfuſam, antequam in ſperma depuretur pani ad inſtar butyri illinant, non abſque nauſeæ horrore, ob ingratum piſcoſumque gari inſtar ſaporem ita deglutiant, ut ſtrenuos ſe magis gerant in veneris militia. Sed talibus ejuſmodi cupedias lubentes concedimus, cum meliora & ſuaviora proſtent, quæ, ſi neceſſitas exigit, ſucci lacteſcentis in corpore augmentum præbeant.

XXVI.

Quoad doſin & utendi modum exhibetur à ℈j ad ʒß in adultis ad ʒj, infantibus recens natis, piſi majoris quantitas ſufficit, & paulo adultioribus ad gr. v. vj. viij. cum lacte poteſt exhiberi. Aſſumitur commodiſſime in ſubſtantia per ſe, cum vix ulla præparata artificia inde proſtent. Cæterum in vehiculo frigido non facile poteſt aſſumi, ſed in calido ubi liqueſcit, & niſi ſit fervidum labia & fauces incruſtat. In cereviſia calida butyri inſtar diffluit, it. in juſculo calido, aut decocto conveniente ubi ſaporem ſuum nonnihil nauſeoſum quadantenus occultat. Cum ovi ſorbilis vi-

tello facile ſolvitur & permiſcetur. Cum ſaccharo etiam teritur, addito pauco oleo amygd. dulc. & ſic in liquore minus concreſcit. Addi poſſunt pro re nata alia emollientia, lubricantia, reſolventia, diſcutientia, carminativa, anodyna & opiata.

XXVII.

Externe poterit uſurpari in lacte coagulato, tenſione mammarum ex lactis retentione, in ablactatione infantum, uti ſupra Empl. de ſpermate ceti Mynſichti laudavimus. it. in ſanguinis coagulo reſolvendo, in ſuggillatis & contuſionibus partium. it. in ſcirrhoſis concretionibus cum aliis reſolventibus, additis etiam pro re nata mercurialibus. Lang. lib. 3. Ep. 1. allegante Libavio ex ſpermate ceti unguentum magiſtrale componit, quod ad nervos contractos, ſpaſmum & nervorum dolores commendat. Sunt qui cicatricibus exanthematum, variolarum & puſtularum illinunt, ut carne eas repleant, & acrimonia corroſiva cutis fibrillas in foveas excavans temperetur, & cuticula tenerior generetur. Quo in caſu cum 🝆 amygd. dulc. ſolutum calide cruſtis variolarum illinunt, ut facilius decidant. Poſt partum laborioſum una cum aliis in emplaſtri forma abdomini imponitur, ad præcavendas ventris rugas. In uſum coſmeticum quoque trahitur, quem in finem Andr. Cnöffelius pulverem Coſmeticum parat, ex ſpermat ceti albiſſ. & magiſt. talci ana ʒij ſacch. ♄ni ʒj. hic pulvis lanugine ſeu goſſypio exceptus adhibetur cuti veſperi dum itur cubitum, ſequenti die facies linteo puro & ſicco iterum abſtergitur. Levin. Lemn. l. 4. c. 9. ubi de medicamentis

mentis ſpecificis cuique parti appropriatis agit, p. m. 391. ad oſſa fracta, rimoſa, fiſſa, hiantia, ferruminanda ſeu conſolidanda laudat, addit, huic medicamento eam vim ineſſe experior, ut ſolidas etiam pyxides quibus aſſervatur penetret, aut roſcido quodam madore aut ſudoriferis guttis irriget. Id quod tamen non æque obſervatur.

XXVII.

Utut vero medicamentum ſit polychreſtum, tamen ſi in uſum trahendum eſt recens uſurpari debet, alias ſi rancidum eſt & vetuſtum plus interno uſu nocebit quam proderit, imo in raucedine, potius raucedinis cauſa quam remedium erit. Refert quidem Chriſtoph. Encelius de re metall. lib. 2. c. 14. p. m. 108. ejus uſum in Saxonia adeo vulgarem eſſe, ut ad quemvis morbum illo utantur, ſe tamen ſcire, propter nimium ejus uſum periiſſe honeſtiſſimam matronam, ſed cum nullam noxiam qualitatem in ſe poſſideat uti juxta Sennertum nihil frequentius in Medicina quam cauſæ fallacia, ita & hîc contigiſſe videtur.

XXIX.

Daniel Ludovici in ſua Pharmac. p. m. 524. ita de ſpermate ceti judicat: efficax ſane eſſe tam intus quam extus, ibi tamen nauſeabundum, utrobique in tanto parabiliorum durabiliorumque proventu præter rem carius, in rancorem proclive, ad eſſentiæ formam pene ineptum, emplaſtrum etiam extemporaneum in ſe non inefficax, viliora nihilominus paſſim æquare, ut toto hoc concreto facile hîc

carere

carere poſſimus. Sed hæc non obſtant, quo minus laudabile & efficax remedium in uſum trahatur, cum in quibuſdam caſibus vix aliud æque huic ſit comparandum.

XXX.

Nobile hoc medicamentum, hanc ſortem cum aliis quoque ſubit, ut mangonio & adulterationi ſit obnoxium: nam referente Joach. Georg. Elſnero l. c. etiam paratur ex certa quadam pinguedine, quam colligunt in certis locis de balænis mortuis & ejectis quæ pinguedo poſtquam purificata eſt & præparata cum omphacio exprimitur per prælum, unde reſtat albicans, ſquamoſa & levis imitans odorem marinum. Hoc etiamſi viribus ſuis non deſtituatur, ignobilius tamen eſt & longe debilius in operatione, quam id quod ex cerebro deſumtum eſt.

XXXI.

Atque hæc de Spermate Ceti ſufficiant, unicum hoc adhuc ſubjungendum videtur, quod allegante Libavio, ejuſdem uſus à Paracelſo in peſte ſuadeatur, ſudoriferis ſi permiſtum fuerit. Idque non ſine ratione, ſi malignitas cum acrimonia corroſiva conjuncta fuerit, quem in finem etiam in aliis morbis malignis præcipue ſi inſignis præcordiorum anguſtia conjuncta fuerit uſurpari poſſet, ut & ſi venena corroſiva aſſumta fuerint.

FINIS.